

nimirum per pravos habitus quos fovent, per passiones quibus se totos dedunt, per supinam salutis incuriam, et similes modos, quibus fit ut peccata quasi innata habeant, et circa eorum malitiam cœcutiant, ad eamque nullatenus attendant; hos enim impios, mundanos, obduratos, excæcatos, et iis similes, quoties passionum motibus efferuntur, actuali scrupulo, dubitatione, suspicione de malitia actuum suorum, aut pia aliqua cogitatione semper pulsari, ab experientia et ratione prorsus est alienum. Quis enim id credat de Tiberio, Nerone, Caligula, Heliogabalo et similibus hominum monstris? Atqui tamen eorum inadvertentia est vincibilis et voluntaria, a peccato formali non excusans. Ergo. — Prob. min. 1° Quia alioquin excusanda forent perditissimorum hominum flagitia et abominationes, quod nemo concedit. 2° Quia effectus malus sequens ad causam voluntarie positam in qua fuit prævisus, aut facile prævideri potuit, est voluntarius et culpabilis, ut alibi non semel diximus. Atqui hi de quibus hic est quæstio, ponunt voluntarie causas inadvertentiæ et obcæcationis circa malitiam suorum actuum, eamque inadvertentiam et obcæcationem ex his causis secuturam aut prævident, aut facile prævidere possunt. Ergo.

Dico 2°: Extra hos casus primæ conclusionis, hoc est quantum ad illos qui non ponunt voluntarie causam ex qua prævident aut facile prævidere possunt secuturam inadvertentiam circa malitiam suorum actuum, sed vel ex oblivione aut distractione naturali, vel alia causa inculpabili patiuntur inadvertentiam huiusmodi, ut censeatur vincibilis et voluntaria ista inadvertentia et non excusans a peccato, requiritur, si non determinate actualis scrupulus, dubitatio aut suspicio malitiæ, saltem aliqua cogitatio aut cognitio sive periculi, sive obligationis inquirendi, sive quæcumque alia, quæ, si non negligetur, ex se conduceret ad cognitionem malitiæ.

Probatur, quia, extra casus primæ conclusionis, nihil est assignabile, præter huiusmodi cognitionem, in quo quis dici queat posse advertere, et hæc posita potest advertere. — Hoc ultimum patet. — Probatur primum: 1° Quia, cum

ex una parte intellectus noster sit potentia necessaria, non se determinat ad considerandum aut cognoscendum aliquid, sed determinatur ab objecto vel ab aliis potentiis, præsertim a voluntate. Voluntas, ex altera parte, non potest determinare intellectum ad considerandum, nisi ex prævia aliqua cognitione quæ non sit voluntaria, quæ præcedit primam volitionem; voluntas enim non fertur in incognitum, sive in se, sive in sua causa; unde illud: « Ignoti nulla cupido. » Ergo in his qui non ponunt voluntarie causam inadvertentiæ, sed vel ex oblivione aut distractione naturali, vel ex alia causa inculpabili, non advertunt ad malitiam, nihil est assignabile in quo dicantur posse advertere, quam diu cogitatio. 2° Si intellectus noster esset ex se proxime et moraliter potens ad inquirendam et depellendam inadvertentiam, nulla unquam esset inadvertentia invincibilis et involuntaria, ut patet. Atqui falsum consequens, ut experientia constat et omnes fatentur. Etenim vir probus qui apprime sciens se teneri hodie ad jejunium, ex oblivione naturali manducat carnes, ab omnibus excusatur propter inadvertentiam invincibilem. Confer quæ dixi de ignorantia invincibili.

Dices: Hoc ipso quo quis advertit ad actum, potest advertere ad malitiam. Ergo, si non advertat, ejus culpa est, et inadvertentia est vincibilis.

Resp. imprimis falsitatem antecedentis generaliter intellecti patere in exemplo mox allato. *Dist.* itaque istud antecedens. Hoc ipso quo quis advertit ad actum, potest advertere ad malitiam in peccatis externis quæ sunt contra primaria et secundaria præcepta juris naturæ, *conc.* ant.; quia ex se et facile ingerunt sui malitiam, et ideo, sicut non datur de iis ignorantia invincibilis, ita nec inadvertentia invincibilis. In peccatis quæ sunt contra præcepta positiva aut etiam naturalia remota et tertiæ classis, *nego* ant.; quia hæc cum sint obscura et difficilioris considerationis, non ingerunt ex se suæ malitiæ notitiam: unde, sicut de iis datur ignorantia invincibilis, ita et inadvertentia invincibilis.

Dixi: « In peccatis externis contra primaria et secun-

daria præcepta juris naturalis, » ut sunt furta, homicidia, adulteria, etc.; quia quoad motus internos circa eadem, videtur omnino concedendum posse dari inadvertentiam invincibilem et involuntariam, quia longe minus quam actus externi ingerunt sui malitiam. Unde sæpe qui sunt timoratae conscientiae, obstinate vexantur motibus concupiscentiae, vindictae, iudicii temerarii, etc., quos quidem sentiunt et advertunt, absque eo quod reflectant ad malitiam, quam cum primo advertunt, illos cum horrore rejiciunt et detestantur.

Inst. Aug., lib. I *Retract.*, c. 15, n. 3, docet, ad peccatum non requiri « voluntatem peccati, » sed sufficere « voluntatem facti. » Atqui qui advertit ad actum, etsi non advertat ad malitiam, habet voluntatem facti. Ergo.

Resp. Dist. ant. Ang. docet, ad peccatum materiale sufficere voluntatem facti, *conc.*; ad peccatum formale, *nego.*

ARTICULUS VI

Utrum ignorantia excuset a pœnis per leges positivas statutis?

Suppono 1^o ignorantiam invincibilem juris aut facti, quæ excusat ab omni peccato, excusare a pœna, quia pœna non decernitur nisi propter culpam, alioquin foret iniusta.

Dixi: « Quæ excusat ab omni peccato; » quia, si ignorantia excuset tantum a peccato contra aliquam legem, puta humanam quæ ignoratur, et non excuset a peccato contra alteram legem, puta divinam aut naturalem quæ non ignoratur, probabilius existimo peccantem non eximi a pœna per legem humanam statuta, si non sit censura ecclesiastica; quia legislator humanus non solum intendit urgere per pœnas observantiam suæ legis, sed et legis naturalis aut divinæ, cujus debet esse custos et protector. Ude fur qui, conscius legis naturalis, ignorat furtum esse

prohibitum lege humana, incurrit nihilominus pœnam suspendii.

Suppono 2^o ignorantiam vincibilem juris aut facti quæ excusat a mortali, etiam excusare a pœna saltem tanta, quia leges positivæ non censentur decernere graves pœnas pro peccatis venialibus. Censetur autem ignorantia vincibilis excusans a mortali, quæ non est crassa et supina; sic enim censetur levis.

Suppono 3^o ignorantiam vincibilem, etiam crassam et supinam, legis latæ sub his aut similibus formulis: « Qui scienter, temerarie, ausu temerario contra fecerit, vel contra facere ausus fuerit, aut præsumpserit, » excusare a pœna; quia, ut ait Cajetanus, 2^a 2^a, q. 53, a. 3, « verbajuris non frustra apposita nec improprie sumenda sunt; » frustra autem essent apposita, nec cum proprietate restrictiva sumerentur, si pœnam incurrerent delinquentes ex ignorantia etiam crassa. Secus probabilius videtur dicendum, si ignorantia sit affectata; quia, secundum jura, ignorantia affectata æquiparaturscientiæ, et non est verisimile legislatores velle eximere a suis legibus et pœnis eos qui affectant illas ignorare, ut eas liberius transgrediantur.

Quæstio igitur superest, an ignorantia pœnæ excuset ab illa eum qui peccat graviter contra legem quam novit, aut ignorat ignorantia crassa et supina. Pro ejus resolutione

Dico 1^o: Ignorantia etiam invincibilis pœnæ non eximit ab illa eum qui peccat graviter contra legem quam vel novit, vel ignorat ignorantia crassa et supina, nisi sit censura ecclesiastica.

Probatur. Leges statuunt pœnas condignas culpis. Ergo qui committit culpam, reus est pœnæ, etiamsi eam invincibiliter ignoret; non enim est de ratione pœnæ quod sit cognita aut volita, cum ex se habeat quod sit violenta et contra voluntatem.

Dixi: « Nisi sit censura ecclesiastica. » Pro quo

Dico 2^o: Ignorantia invincibilis censuræ ecclesiasticæ eximit ab illa peccantem scienter contra legem per quam est decreta. Est communis.

Probatur. Id est speciale et proprium censuræ ecclesiasticæ, quod non incurrat nisi propter contumaciam contra Ecclesiam, non qualitercumque, sed contra Ecclesiam præcipientem aut prohibentem sub censura, cujus signum est quod nullus incurrat censuram, nisi præcedat monitio juris aut judicis, non qualiscumque, sed sub comminatione censuræ. Atqui qui invincibiliter ignorat censuram, non est hoc modo contumax in Ecclesiam. Ergo.

Confirmatur. Censura ecclesiastica non tam est pœna vindicativa in ultionem criminis, quam pœna medicinalis deterrens a crimine. Atqui pœna incognita non terret. Ergo.

Dico 3^o: Probabilius videtur, ignorantiam etiam vincibilem, modo non sit crassa et supina, censuræ ecclesiasticæ, eximere ab illa peccantem scienter contra legem per quam est statuta. Ita Sylvester, verbo *Excommunicatio* I, q. 3, Navarrus, Covarruvias, et alii multi.

Colligitur ex Cap. *Ut animarum, de Constitutionibus* in Sexto, lib. I, tit. 2, c. 2, ubi habetur sic: « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia non fuerit crassa et supina. »

Ratio suffragatur. Qui ignorat censuram, etiamsi vincibiliter, sed ignorantia leviter culpabili non crassa et supina, non dicitur proprie inobediens et contumax contra Ecclesiam sub censura præcipientem aut prohibentem. Atqui hujusmodi contumacia requiritur ad incurrendam censuram, ut dictum est. Ergo. Secus existimamus dicendum de irregularitate, etiam ex delicto, quam non reputamus censuram, ut alibi dicemus.

Petes utrum, quoties voluntas peccat, præcedat aliquis error practicus in voluntate.

Resp. affirmative¹. Quia in tantum voluntas peccat, in quantum præfert bonum utile aut delectabile, tamquam

1. Hic q. 77, a. 2, o, et alibi.

sibi conveniens, bono honesto. Atqui voluntas, cum sit potentia cæca, nata sequi ductum intellectus, non potest præferre bonum delectabile, tamquam sibi conveniens, bono honesto, nisi intellectus judicet hic et nunc bonum delectabile esse sibi conveniens et præferendum bono honesto: in quo practice errat. Ergo. Et hoc sensu verificatur illud *Prov.*, xiv, 22: *Errant qui operantur malum.* Et istud vulgatum desumptum ex Philosopho, I *Ethic.*, c. 3: « Omnis peccans est ignorans, » practice scilicet et in particulari, non speculative et in communi; alioquin omnis peccans foret hæreticus.

ARTICULUS VII

Utrum Deus sit causa peccati?

Nota 1^o. Peccatum utpote coneretur accidentale duo importat, materiale et formale. Materiale est actus seu entitas, formale est malitia seu difformitas. Dum quærimus, utrum Deus sit causa peccati, non est quæstio de materiali, sed de formali; sicut dum quæro, quis fecerit statuum hanc, non quæro quis fecerit lignum, sed quis fecerit formam seu figuram,

Nota 2^o. Duplex distingui potest causa peccati¹: una per se et directe, ut cum quis impellit, concurrat positive seu influit in peccatum; altera per accidens et indirecte, tamquam removens prohibens, ut cum quis non impedit peccatum quod potest et debet impedire. His notatis,

Dico 1^o: Deus nec est nec esse potest per se et directe causa peccati²; id est, Deus non impellit, movet, instigat ad peccatum, non jubet illud, non facit illud, neque per se, neque per Satanam aut impios, tamquam per sua instrumenta, ut docuerunt Calvinus, Zwinglius et alii hæretici.

1. Hic q. 79, a. 1, o. — 2. Ibid.

Probatur 1^o ex Scripturis. *Deut.*, xxxii, 4, dicitur: *Dei perfecta sunt opera, et omnes vice ejus judicia: Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus. Rom.*, ix, 14: *Numquid iniquitas apud Deum? Absit! Psal.*, v, 5: *Non Deus volens iniquitatem tu es. Eccli.*, xv, 12: *Non dicas: Ille me implanavit, id est, decepit et in peccatum induxit. Et postea, 21: Nemini mandavit impie agere. Jacob.*, i, 13: *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est. I Joann.*, iii, 8: *Qui facit peccatum, ex diabolo est. Sap.*, xi, 25: *Nihil odisti eorum quæ fecisti. Et tamen Sap.*, xiv, 9: *Odio sunt Deo impius et impietas ejus. Et alibi sæpe.*

Probatur ex Patribus, qui unanimiter conclusionem docent. Unde Trid., sess. vi, can. 6: « Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium opus ejus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit. »

Probatur ratione. Omne peccatum est per recessum ab ordine qui est in Deum sicut in finem¹. Atqui impossibile est quod Deus sit sibi vel aliis causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum. Ergo.—*Prob. min.* Deus est ultimus finis omnium, et omnia consequenter inclinatur et convertitur ad seipsum ut finem ultimum, juxta illud *Prov.*, xvi, 4: *Universa propter semelipsum fecit Dominus. Ergo.*

Confirmatur. Justa voluntas, ut dicit S. Anselm., lib. de *Lib. arbit.*, c. 8, est quæ vult id quod Deus vult illam velle. Ergo, si Deus vult illam peccare, peccando vult quod Deus vult illam velle, et simul Deus non vult illam velle, et propter quod illam punit; quod est manifeste contradictorium.

2^o Nulla potest assignari justa ratio cur Deus velit et faciat homines peccare. Ergo.—*Prob. ant.* Non aliam assignant hæretici, nec assignare possunt, quam hanc, scilicet

1. Ibid.

ut Deus habeat quorum misereatur et quos puniat, sicque eluceant misericordia et justitia. Atqui, ex hoc quod Deus velit et faciat homines peccare, et aliquorum misereatur, alios puniat, nullatenus inde elucet misericordia et justitia, quin potius apparet injustitia et crudelitas. Ergo.—*Prob. min.* Quamvis in puniendo injustum apparet justitia, attamen efficere injustum, ut puniatur, non est justitia, sed summa injustitia; hoc enim non est intendere pœnam propter culpam, sed culpam propter pœnam, quod est omnino inordinatum et injustum. Neque est misericordia, sed potius crudelitas, efficere hominem impium, ut ab impietate liberetur; sicut crudele esset hominem vulnerare, ut sanetur. Ergo.

Dico 2^o: Neque per accidens et indirecte Deus est causa peccati¹; quia tunc tantum quis dicitur causa per accidens et indirecte peccati, nimirum ut removens prohibens, quando potest et debet impedire peccatum et non impedit; sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc quod non gubernat navim, nisi quando subtrahit gubernationem, potens et debens gubernare. Atqui Deus, secundum leges suæ sapientiæ et providentiæ universalis, non tenetur impedire peccata quæ permittit. Ergo.

Petes 1^o, circa q. 80 S. Thomæ, an et quomodo diabolus sit causa peccatorum hominum.

Resp. 1^o Certum est diabolus aliquo modo esse causam peccatorum hominum². Patet quia induxit Evam in peccatum, tentavit Job, et quotidie tentat homines: unde illud I *Petr.*, v, 8: *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit querens quem devoret.*

2^o Diabolus non potest esse causa peccati directe et sufficienter³; quia non potest esse causa peccati, nisi vel agendo interius in voluntate et eam movendo ad peccatum, vel proponendo objectum et persuadendo ejus appetibilitatem. Atqui primum non potest; est enim solius Dei movere voluntatem interius in eam agendo.

1. Ibid. — 2. Hic q. 80, a. 1, o. — 3. Ibid.

Secundum non sufficit, quia voluntas a nullo objecto de necessitate movetur, nisi a solo ultimo fine.

3^o Potest ergo dumtaxat diabolus esse hominibus causa moralis et indirecta peccanti¹, quatenus proponit sensibus sive internis sive externis aliquid appetibile, commovet appetitum sensitivum et phantasiam, et hinc suadet rationi illud esse bonum et eligibile.

[*Petes* 2^o quomodo sensibilia externa fiant causæ peccatorum.]

Resp. Sensibilia externa movendo appetitum sensitivum causæ peccatorum fiunt. Cum enim ab aliquo objecto commovetur sensus, illud proponit appetitui, et appetitus allicit rationem; si ratio deficiat a consideratione regulæ, approbat delectabile ut tale et voluntati illud offert; cui si voluntas consentiat, perficit peccatum.]

Sequitur de causa peccati ex parte hominis, hoc est de peccato originali. Pro quo sit

DISSERTATIO VI

DE PECCATO ORIGINALI

D. Thomas, qq. 81, 82, 83.

ARTICULUS I

Utrum sit peccatum originale ab Adamo ad posterum transmissum?

Per peccatum originale intelligimus illud quod nascendo contrahimus ex Adamo, qui cum esset constitutus a Deo caput, non solum naturale, sed etiam morale omnium hominum ab ipso seminaliter propagandorum, supponebat pro nobis et continebat in sua voluntate

1. Ibid.

voluntates nostras, ita ut, dum peccavit, simul in eo peccavimus. In quo consistat essentia hujus peccati, dicemus infra; sed interim, quidquid sit, esse verum peccatum quo inficimur et nascimur filii iræ, dogma est catholicum, quod hic probandum suscipimus adversus hæreticos.

Dari peccatum originale in posteris Adæ, primus omnium negavit Pelagius, deinde ejus discipuli Julianus et Cælestius, contententes Adam sibi soli nocuisse, non posteris, nisi exemplo.

Dico: Secundum fidem catholicam, tenendum est peccatum originale traduci in posteros Adæ¹.

Probatur 1^o. Apostolus, *ad Rom.*, v, 12, dicit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ergo, juxta Apostolum, aliquid peccatum in hunc mundum intravit, quod omnes homines constituit peccatores et morti obnoxios. — Subsumo. Atqui istud peccatum non est actuale personale, cum infantes, qui morti sunt obnoxii, non sint illius capaces. Ergo originale.

Confirmatur hæc probatio ex eodem Apostolo, II *ad Cor.*, v, 14 et 15: *Si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* « Nega, inquit Aug. Juliano, lib. VI contra ipsum, cap. 9, n. 24, Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est, de contagio peccatorum. Si et pro ipsis mortuus est, ergo et ipsi mortui sunt. » Est ergo peccatum aliquod quo infantes recens nati dicuntur mortui: et hoc quid est aliud, nisi originale? Item *ad Ephes.*, II, 3: *Eramus natura, id est, a nativitate et origine, filii iræ.*

Probatur 2^o ex conciliis. Concilium Palæstinum, cujus meminit Aug., *Epist.* 186²; Milevitanum in Africa, anno 416; Innoc. I confirmans conc. Milev.; Zosimus, *Epist.* ad episcopos totius orbis, cujus meminit Aug., *Epist.* 190³;

1. Hic q. 81, a. 1, o. — 2. Olim 106. — 3. Olim 157.